

approbata fuerit auctoritate superioris competentis. Quamdiu deest canonica constitutio, dari potest persona moralis civilis, vel persona individua, capax dominii; sed bonum temporale ab illa acquisitum non reputatur bonum ecclesiasticum, nec habet privilegia bonis ecclesiasticis iure canonico annexa. Icard, vol. II, num. 575.

731. Suumus Pontifex, licet dominium proprie dictum in bona ecclesiastica non habeat, in ea jus supremæ dispensationis, seu altum dominium, habet, vi cuius potest ca transferre, alienare, vel etiam laicis cedere, quando id necessarium judicat ratione circumstantiarum.

Hoc eruitur 1º ex praesumpta fidelium voluntate; nam fideles, dum aliquid dant ecclesiis, monasteriis, collegiis, non dant Summo Pontifici, sed præsumuntur consentire ut si urgens necessitas postulaverit, S. Pontifex valeat de his bonis statuere; alias acceptari non posset donatio, nec sufficienter consideretur gravi necessitatibus Ecclesiae.

2º De facto, Summi Pontifices hoc jure usi sunt, licet cum summo moderamine: transtulerunt bona ab uno in iusto regulari, quod jure vel facto extinctum fuerat, ad aliud, v. g. quando suppressa est religio Templariorum; suppresserunt ad mentem Concilii Tridentini nonnulla beneficia simplicia ad providendum creationi seminariorum et parochiarum; remiserunt bona ecclesiastica injuste occupata et invalide alienata a laicis ut pax Ecclesiae restituatur.

732. Administratio bonorum ecclesiasticorum est apud prelatos et rectores ecclesiarum. Revera in omni re, id quod est primum et præcipuum, est dominium plenum vel utile; administratio sua natura consequitur, juxta regulam juris: " Accessorium sequitur naturam principalis;" atqui in rebus ecclesiasticis dominium directum, vel saltem utile, ad personas ecclesiasticas pertinet, consequenter congruit ut ipsarum cura et administratio ad easdem personas pertineant.